Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2893
Quelle:
Copyright:

DCCCI.

425 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 68. 4. luculente ſcriptus hanc in theca anteriore notam praefert: *Iſte liber eſt beate Marie virginis in ſancta Cruce videlicet in Auſtria. Et dicitur* tractatus ſuper miſſam *optimus liber legentibus et eciam auſcultantibus de diuerſis materijs miſſe &c.* Pag. vero Codicis *ult.* legitur: *Iſte Liber titulatur* compendiarius miſſe. Initium ejus eſt: *Miſſa a IIII. cauſis nomen accepit. duabus a legatione et duabus a miſſione.* Finis: *non deuotioni ſed preſumptioni aſcribitur.* Difficile eſt inter tot, qui hoc argumentum verſarunt, Autorem adſignare. Neque ille in ſolis *Miſſae* ritibus explicandis, tradendoque illorum ſenſu myſtico ſiſtit, ſed latius in *Liturgiae* campos expatiatur. Ita varia adfert de Officio Epiſcoporum et Eccleſiae gradibus, de Templis, Campanis, Sepultura, de Ordine Monaſtico utriusque Sexus, quae poſtrema Monachum fuiſſe arguunt. Germanum inde conjicias, quod de Templis *fol.* 41. p. 2. agens ſcribit: *Hec domus etiam* Kiricha. *id eſt. dominicalis appellatur.* De more antiquo Canoni in Miſſalibus Servatoris cruci ſuffixi iconem praemittendi *fol.* 4. p. 1. haec obſervat: TE igitur *ideo dicimus. quia deum quaſi preſentem aſpicimus. hic* (hinc?) *in libris crucifixum* (e Germanico *das* Crucifix) *depingitur.* In univerſum plurima decerpſit et iisdem quidem verbis e L. I. *Gemmae Animae Honorii Auguſtodunenſis*, cujus Exemplum *Cod.* DCCXCI. produximus, neque tamen eodem ordine, neque in *Capita* diviſa.

DCCCII.

Codex partim membraneus, partim chartaceus, lat. boh. Sec. partim XIII. partim XV. Folior. 374. 4. a diverſis conſcriptus ſequentia continet: I. in membrana manu Sec. XIII. *Tractatum de Officio Miſſae* per tres columnas ſcriptum, quarum dextra inſignitur *Ordo* et enarrat ſuccincte cerimonias in Sacrificio obſervari ſolitas, media inſignitur *Miſterium* et exhibet Excerpta e VI. *Libris Innocentii III. Pont. Rom. de Officio Miſſae*, jam indicatis, laeva inſignitur *Auctor*, et promit loca S. Scripturae, ad quae Ritus Miſſae adludunt. Autor Compilationis hujus nullibi exprimitur. Praefationem ille incipit iisdem cum *Innocentio cit.* verbis: *Tria ſunt in quibus precipue lex diuina conſiſtit* &c. Verum mox eum deſerit et ita proſequitur: *Spiritu ſancto ergo docente de Officio miſſe primum videamus quid ſit miſſa et vnde dicatur. quid in ea agatur* &c. Atque plures ejusmodi Quaeſtiones congerens, in ipſa etiamnum *Praef.* ad eas reſpondet. Ipſius dein Operis initium Col. 1. *Sacerdos celebraturus ſollempnia miſſarum quosdam pſalmos et orationes premittit* &c. Col. 2. *Quinque pſalmos dicit ſecundum exortacionem pſalmiſte* &c. Col. 3. *Idem dominus traditurus* 532